



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Bambergenses S. Henricvs Imperator S. Kvnegvndis  
Imperatrix S. Otho Episcopvs**

**Gretser, Jacob**

**Ingolstadii, 1611**

VII. Notationes in vitam S. Othonis, in quibus refelluntur mendacia Danielis  
Crameri Lutherani Prædicantis, quæ contra S. Othonem in Chronicis  
Pomeranicis effutiuit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41527**



NOTATIONES IN  
LIBRVM PRIMVM DE VI-  
TA S. OTHONIS, EPISCOPI  
BAMBERGENSIS.

**A**Uspicemur à nomine, *Outo, Oudo, Vto, Vdo*, cum aspi-  
ratione, & sine aspiratione scriptum variè reperio, inquit  
Auentinus in sua Nomenclatura, vnum nomen est à  
custodia deductum, tandem *Oro* factus est. Quare & hoc  
ipsum nomen diuersimodè scribitur; *Oto, Otho, Osto*; Est cum &  
*Otho*. Rosvithæ Moniali in Panegyrico Othonis Magni, *Oodo*.

*Qui nam vitam & res gestas S. Othonis  
literis consignarint.*

**I**N Præfatione ad Guardianum Bambergensem,  
quatuor nominantur ab Andrea Abbate. I. Se-  
fridus, seu Sifridus. II. Ebbo, Monachus Mo-  
nasterij S. Michaëlis Bambergæ. III. Thimo,  
seu Tiemo. IV. Herbordus. Ex quorum commentariis hos  
libros, formâ Dialogi iam olim cõtextos, Andreas recensuit,  
illustrauit, auxit.

Quis iste Andreas fuerit, satis ipsemet in Epistola Dedicato-  
ria explicat. De quo Surius Tom. 4. die 2. Iulij, ad calcem  
vitæ S. Othonis: *Sunt, qui scribunt Andream abbatem extra Bam-  
bergam quatuor conscripsisse libros vitam huius sancti, circa annum Chri-  
sti M. D. Sed ea ad manus meas necdum peruenit. Eadem Molanus  
in Martyrologio 30. Septemb. addens; Andream hos libros  
scripsisse*



scripsisse ad Bogislaum Principem Pomeranorum. At nihil de hoc noster Codex. De eodem Andrea Catalogus Manuscriptum Abbatum Montis Monachorum sequentia. Andreas Abbas XXXVI. Domino Vdalrico cita morte sublato, Andreas de Staffelstein oriundus in eius locum subrogatur Anno salutis 1483. Ipso die S. Dorotheæ virginis. Hic à primæua sua institutione per prædecesores suos in sancta reformatione, & religionis obseruantia, bene paterna ex arte instructus, morum probitate, & vitæ honestate, tanquam bonus agnothera in bona operatione secutus est pedes, & vestigia patrum suorum Prædecessorum. In augmentatione spiritualium & temporalium vtilissima ædificia perfecit, cum insigni Bibliotheca. Tandem ex catalepsia & paralyfi sinistri lateris mortem obiit die 23. mensis Octobris, Anno M. D. II. sepultus ante altare S. VVolfgangi.

Cramerus Lutheranus Prædicans lib. 2. Chronici Pomeraniæ cap. 34. dicit; Andream Bambergensem, Monachum Benedictinum, Anno 1487. Historiam de vita Ottonis dedicasse & inscripsisse BENELECTO, tunc Episcopo Caminensi in Pomerania; & huius Historiæ exemplar in membrana exaratum nunc penes se esse, acceptum ex Bibliotheca Caminensi, & ex præfatione intelligi, Episcopum Benedictum petiisse ab Andrea, vt miracula & res gestas S. Ottonis in literas referret; hæc enim esse Andreae verba: *Exigitis à me, Pater per secula memorande, & Prasul nominatus in orbe, vt signa & portenta, qua per opinatissimum nunc in secula sanctum Ottonem, ac nostris temporibus Pomeranorum Apostolum, nouis temporibus diuina peregit clementia, curâ diligentissimâ indagata, ad laudem & nomen viuificæ Trinitatis, nec non ad excitandos animos diuinæ plebis sedulè annotare decertem.*

Hæc ex Andreae Epistola ad Benedictum Episcopum recitat Prædicans, cui fortè non iniuriam feceris, si eum aut verba Andreae oscitanter inspexisse, aut in manuscriptis libris legendis non admodum versatum esse suspiceris. Quis enim aut tam cæcus, aut saltem luscitiosus fuerit, qui non videat, textum Andreae perperam à Prædicante representari, omninoque rescribendum: *Per opinatissimum nunc in secula sanctum*

Bb Orho-



Othonem, Pomeranorum Apostolum, nostris temporibus, diuina peregrine clementia.

Deinde ex dictis verbis confici videtur, Andream de S. Othone sapius scripsisse. Nam iste commentarius, quem publicamus, non est ad Benedictum Episcopum, nec noua tantum, nostrisque temporibus patrata miracula continet; at lucubratio, quam Andreas ad Episcopum Caminensem misit, ea mira exequabatur; quæ Andree temporibus Deus per S. Othonem efficiēbat, quorum nonnulla commemorat quidem Andreas libro quarto; sed pauca duntaxat ē multis. Nec est insuetum ut idem scriptor de eodem argumento plures lucubrationes edat, præsertim cum huius, quam edimus, Andreas non tam Auctor, quàm illustrator & corrector fuerit; iam enim ante Andree ætatem edita fuerat.

Testatur autem Prædicans, Andream suo illo in Commentario, etiam hos ad Episcopum BENELECTVM versiculos adiecisse,

*Præsul amate Deo, te oro Præsul Benedicte,  
Inter oues proprias me vt miserum numeres:  
Siquis tui famuli protector verus, & ipsum  
Eterno Domino restituas precibus;  
Qui se totum offert, & parua hæc dona ministrat,  
Commendans tibi met seq̄, simulq̄, sua.  
Tu renocator ades patriæ spes, rector, honorq̄,  
Dulcis amor cunctis, dignus amore Dei.  
Tempora sunt huius vitæ nunc plena periculis,  
Bella mouent gentes, hosti vbiq̄, furit.  
Vnde opus est quod valde tua protectio fortis  
Succurrat miseris, quos inimicus odit.  
Eripe sancte piis monitis, precibusq̄, sacratis,  
Commissum tibi met pastor ab hoste gregem.  
Vt tua laus maneat merces & gloria semper,  
Cum Christo in celis regna beata tenens.  
Credo quidem memet per te conquirere posse  
Vitam, quam nequeo propria per merita.*



Te Deus æternus mundi mitissimus Auctor

Tempore longæuo protegat atq; regat.

Vr vales, vigeas, captes & prospera sanus,

Hic & in æternum regna suprema metas.

Te vigilem seruet, qui non dormitat in æuum,

Nominis atq; tui restituat meritum.

Vr vigilet cautus pastor Benedictus, & asis

Sancte tui ouibus Præsul amate, vale.

Ait Prædicans: se hoc carmen, ea etiam de causa exscripsisse, quod Monachus iste fateatur, se suis operibus non posse saluum fieri. At factus, se posse salutem & æternam beatitudinem consequi meritis & operibus Benedicti Episcopi. Quomodo hoc arridet palato Prædicantico?

Deinde, non debet Prædicans vocem humilitatis & Christianæ submissionis vertere in Lutheranismum, quasi qui dicit, se meritis suis non posse saluum fieri; Prædicantico spiritu afflatus tantundem dicat, quantum noui huius Euangelij Præcones; nimirum, opera nostra coram Deo esse nihili ac nauaci nulliusque meriti; sola fide omnia confici; nam si Andreas ea mente fuisset, neque Benedicti Episcopi meritis & operibus, sed sola fide sua, absque vllius operibus, se salutis æternæ participem fore affirmasset. In Religiosorum hominū præcordia monitum Christi tam descendit altè, vt cum omnia, quæ facere oportet, fecerint; seruos inutiles sese esse, libenter profiteantur: Inutiles videlicet sunt, sed suo iudicio, ne insolescant & intumescant; non iudicio Dei, cuius in conspectu, vt mors, sic & vita Sanctorum pretiosa est.

Quis autem sit Auctor eius commentarij de vita & rebus gestis S. Othonis, quem vir clarissimus D. HENRICVS CANISIUS Tom. 2. Antiquæ lectionis publicauit, non difficile erit statuere. lecta hac Andrea Historia; non enim vnum parentem habet, sed tres, Ebbonem, Tiemonem & Sefridum, seu Sifridum, quem Lutheranus Prædicans Cramerus lib. 1. Chronici Pomeranici, cap. 14. ait, fuisse *Scribam* seu *Notarium* S. Othonis: His tribus vitam à Canisio editam adscribi debe-

Bb 2

re.in-



re, inde manifestum euadit, quòd quæ in Andrea commentario sub Timonis, Sefridi, & Ebbonis nomine commemorantur, pleraque si non omnia, ad verbum in Historia Tom. 2. Antiquæ Lect. reperiuntur. Nam ex horum trium lucubrationibus olim quidam Anonymus vitam S. Othonis specie Dialogi conscripserat; quam Andreas auxit, suppleuit, distinxit, & clariorem reddidit; vt ipse sua in præfatione fatetur. Alij autem, omisâ formâ Dialogi, & tacitis Auctorum nominibus, & nonnullis refectis, hanc, quam Canisius in lucem dedit, historiam concinnarunt, quæ etiam exstat. (vidi enim) in Manuscripto quodâ Codice Rebdorffensis Monasterij. Breuius adhuc huius vitæ Compendium edidit Surius Tom. 4. Nam superioris ætatis homines historias vel decurtatas, vel integras proponere solebant, prout, pro suo quisq; gustu, eas ad lectoris gustum facturas arbitrabatur.

Vtrum autem ipsa monumenta Sifridi, Ebbonis, Herbor-di, Timonis, ex quibus hic commentarius confectus est, adhuc superent, mihi non liquet. Nunquam certè in illa incidi, licet sat multas Bibliothecas, & Bibliothecarum Catalogos peruoluerim.

### In Caput V.



**D**E Codice Spalterij. Ita sæpe Prisci Codices: quibus etiam psallere, est *psallere*; & psalmodia, *psalmodia*, per literarum metathesin, qua nihil vulgo vitiatus in Latinis & Græcis vocabulis, in communem usum & morem transeuntibus; à quo postea doctiores, qui scribunt, eadem vocabula sæpe mutuuntur, vt accommodent se veteri illi dicto; Loquendum, vt multi: sapiendum, vt pauci.



DIGRES-



DIGRESSIO PRO ANTIQVIS PO-  
meranis à S. Othone ad fidem Catho-  
licam traductis, contra impostu-  
ras Lutherani cuiusdam  
spermologi.

**D**aniel Cramerus, quinti Euangelij in Pomerania Prædicans, chartis infamibus & mendaciloquis, quas partim Latina, partim Germanica lingua sparsit, non planè ignorus, publicauit Anno Redemptoris M. DC. III. librum hoc titulo: Pommerische Chronica/das ist/Beschreibung vnd ausführlicher Bericht/wie anfanglich durch Bischoff Otto von Bamberg/die Pommern auß Heidenischer Blindheit zum Christenthumb bekehret/vnnd folgendes bis auff den heutigen tag erhalten worden sind: Latine. *Chronica Pomeraniæ, hoc est, descriptio, & copiosa declaratio, qua ratione in initio per Othonem Episcopum Bambergensem, Pomerani ab Ethnica cæcitate, ad Christianam religionem conuersi fuerint, & quomodo consequentibus annis vsque ad hodiernum diem in ea perseuerauerint.* In quo titulo quædam placent; quædam displicent. Placet, quod ait, Pomeranos ab Ethnica cæcitate ad Christianismum seu Christianam religionem per Othonem Bambergensem traductos fuisse: Verè enim ita est, vt inscriptio affirmat: sed hinc aliquid inferemus, quòd prædicantico stomacho non arridebit; nempe, *Papatum*, vt sectarij vocant, esse Christianismum; & *Papatus professionem*, esse Christianam Religionem; quandoquidem tam certum est, S. Othonem in Pomerania aliam fidem non annunciasse, quam eam, quæ hodie in *Papatu* traditur & omnibus sequenda proponitur, quam certum est, Paschalem Papam, à quo S. Otho Episcopalem consecrationem accepit; & Callistum II. à quo in Pomeraniam Anno 1124. ablegatus est, non docuisse diuersam fidem ab illa, quæ hodie ex cathedra S. Pe-



tri à Paulo V. Pontif. Maximo docetur. Solis itidem luce di-  
 lucidius est, S. Othonem, Pomeranis aliam fidem non præ-  
 dicasse, quàm quæ hodie in Templo Cathedrali Bambergæ,  
 & in Templo S. Stephani, & in Monasterio S. Michaëlis prædi-  
 catur, cuius rei testem fero, tam hunc Andream, quàm illum à  
 Canisio publicatum de rebus à S. Othone gestis, Commen-  
 tarium; Nihil in hoc vel in illo Lutheranum, nihil Caluinia-  
 num; vno verbo, nihil sectarium aut *predicanticum*. Si ergo S.  
 Otho in Pomeraniam, non nisi illâ fidem introduxit, quæ hodie  
 in *Papatu* publicè colitur & defenditur; asserat oportet  
 Cramerus; Aut se & alios prædicantes mentiri ac calumniari,  
 quando *Christianismum & Christianam professionem* in Papatu  
*Antichristianismum & Antichristianam*; & præterea *cæcitate* atque  
*idololatriam* appellitant: aut Pomeranos à S. Othone ab  
 vna idololatria & cæcitate ad aliam fuisse traductos; & sic vs-  
 que ad annum Domini M. D. XXXIV. quo Catholica re-  
 ligio ex tota Pomerania proscripta est, vera religione, vero-  
 que Christianismo caruisse. Quod si prædicans concedat; ne-  
 cesse erit, vt titulum libri sui aliter formet, & paulo confide-  
 ratius, doctrinæque suæ convenientius, concipiat.

Cæterum in prædicta inscriptione vehementer displicet,  
 quod prædicans dicit, *Pomeranos, in eo Christianismo, quem à S.*  
*Othone acceperant, persistisse vsque ad hodiernam diem*; Displicet, in-  
 quam, hoc, quia manifestæ falsitatis conuinci potest. Chri-  
 stianismus enim quem S. Otho in Pomeraniam introduxit,  
 statuebat & profitebatur septem Sacramenta, vt patet ex  
 cap. 17. lib. 2. vbi describitur institutio, qua S. Otho Bapti-  
 zandos & baptizatos imbuere consueuerat. At hodiernus,  
 aliquando duo; aliquando vix tria Sacramenta admittit.  
 Christianismus ab Othone in Pomerania plantatus & propa-  
 gatus *Missas* celebrabat, audiebat, colebat; Monasteria tam vi-  
 rorum, quàm mulierum exstruebat, Sacerdotia fundabat,  
 Ecclesias cathedrales, aliasque exædificabat & dotabat: Qua-  
 tuor tempora, Quadragesimam, & festa Martyrum religiosè  
 obseruabat, Reliquias sanctorum piè honorabat, & secum  
 circumferebat: quæ omnia, vt & plurima alia veri Christia-  
 nismi



nismi instituta, ab Othone Pomeranis tradita fuisse, pro testimonio luculento est hic, quem euulgamus, commentarius. At hodiernus Pomeraniæ Christianismus contraria prorsus viâ graditur. Nam missas, vt abominationum omnium extremam, execratur. Monachos profligat; Monasteria vastat. Sacerdotia in suos vsus conuertit ac conuertit. Quadragesimam & Quatuor Tempora exterminat. Martyrum festa, vt idololatrica, subsannat: breuiter, quidquid huius generis S. Otho, vt pium & salutare, Pomeranis tradiderat; hoc Lutheranus Christianismus, vt superstitiosum & profanum refutat. Qua igitur fronte, nisi effronte, hoc est, prædicantia, affirmat iste prædicans, Christianismum ab Othone acceptum, vsque ad hodiernum diem in Pomerania durare? Utinam duraret. Sed absit à sanctissimo viro Othone, vt talem Christianismum in Pomeraniam intulerit, qualis est is; qui hoc tempore in Pomerania regnat, cuius architecti fuere vilissimi Apostatae, quisquiliæ nationis Pomeranæ; Ioannes Bugenhagenus, Iacobus Hagensæ, Paulus à Rhoda, VVilhelmus Hecker, Christianus Ketelbut, Ioannes Curike, Ioannes Knipstrov, Ioannes Kleppius, Ioannes Aepinus, Paulus Artopæus, hoc est, Beck, Antonius Gersayv, Antonius Remmelding, Bernhardus Stroschneider, Thomas Stergert, Leonhardus Meyssch, Petrus Kromholtz, Andreas Piper, vel Pfeffer, & similes Sacerdotalis vel Monasticæ vitæ in Pomerania subantes desertores, qui S. Othoni vita, moribus & doctrina tam dissimiles fuerunt, quàm dissimilis est Beelzebub S. Michaëli: Belial, S. Raphaëli, Et Asmodæus, S. Gabrieli.

Quamuis autem Chronologus iste Pomeranicus insigniter stupidus est, vt omnes chartæ eius testantur, hic tamen ex profundissima stuporis sui caligine nonnihil suspiciens oculosque attollens, animaduertit, lectores è vestigio interrogaturos, num Otho Episcopus illam fidem Pomeranis annunciarit, quæ hac tempestate in Pomerania omnia obtinet. Hic deprehensus prædicans modò hoc, modò illud lallat, vt vide licet lib. i. cap. 34. Et nec abnuere, nec annuere audet, sed instar vulpis, in omnes partes sese vestit ac torquet; Et post loquacissimam verborum profluentiam, si quæ dicta sunt, in  
com-



compendium redigere velis, necesse erit, vt quæras, quid tandem prædicans dixerit.

Multa de vicissitudine & mutabilitate Lunæ, lunatici in modum, deblaterat: mentitur, simili vicissitudini fidem obnoxiam esse, fidem, inquam, catholicam, orthodoxam, & Apostolicam; hanc modò apparere integram, modò dimidiatam, interdum penitus euanescere & abscondi: Mirum non dixisse; aliquando *corniculatam* cerni. Quæ forsan lector sibi persuaderi sineret, si nesciret, illud Isaia cap. 2. de Ecclesia vaticinium. *Et erit in nouissimis diebus preparatus mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur super colles, & fluent ad eam omnes gentes Et ibunt populi multi, & dicent: Venite & ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias suas, &c. Domus Iacob venite, & ambulemus in lumine Domini, &c. Quis est iste preparatus mons domus Domini non quomodocunq; sed in vertice montium collocatus? Quis iste mons eleuatus super colles, ad quem fluunt oēs gentes? Quæ est ista domus Dei Iacob, in qua docentur viæ Domini; nisi Ecclesia semper conspicua? Nisi fidei Catholicæ & Apostolicæ schola, omnium oculis semper exposita? Ad quam eodem Isaia teste cap. 35. via tam directa ducit, ita vt stulti non errent per eam; necesse igitur est, vt semper tam ipsa, quàm via ad ipsam sit visibilis. Nam si neque hæc, neque illa visibilis sit; sed interdum penitus occulatur, non modò stulti ab errore ruti non erunt, sed ne sapientes quidem. Itaque iure lunaticos vocaueris, qui Ecclesiam & fidem Christianam, in star lunæ, crescere, decrescere, condi & recondi nugantur: aut interdum nebulâ circumfusâ abdi, sicut arces à nocturnis tenebris, vel diurnis nebulis aliquando ex conspectu eripi possunt; licet in altissimis montibus & rupibus consistant.*

Sed his omisis, respondeat nobis, oro, prædicans ad sequentes quæstiones, at sine flexuosis diuerticulis. I. Quo anno post annum Domini Millesimum, Lutherana doctrina, ante natum Lutherum, plenè & perfectè, in star plenæ lunæ, luxerit & fulserit? Quibus orbis in oris? Num in Germania, Gallia, Italia? Et si in harum aliqua Prouincia, in qua ciuitate, in quo oppido, in quo pago, in qua villa, in qua villula, in qua



qua domo, in qua domuncula? Dicat, inquam, quando nam, & ubi Lutherana doctrina plenè fulserit & luxerit, eo modo, quo iam fulget & lucet in Pomerania? Si tamen fulgere & lucere dici potest illa professio, quæ carbone nigro atrior est, & tenebris Aegyptiacis caliginosior: quia incredibile est, si doctrina Lutherana, quam prædicans pro vera reputat, mutationes, lunæ instar, suscipit, eam à Millesimo anno vsque ad Lutheri ætatem, nunquam fuisse plenam, sed semper vel corniculatam, vel semiplenam, vel prorsus quoque tectam.

II. Quam fidem Otho Episcopus Pomeranis annunciarit? Num Lutheranam, an Catholicam seu Pontificiam? Num veram an falsam? Hic mussat, prædicans, nec inuenit satratramenti, quod candidæ veritati, sapiarum ritu, affundat. Non diffitetur, Othonē prædicasse Pomeranis illam fidē, quæ docet, *hominem sola fide non iustificari: quæ docet, hominem libero arbitrio esse præditum ad bonum & ad malum, etiam post lapsum. Quæ docet, legem Dei, diuine gratie auxilio, impleri, & obseruari posse. Quæ docet, varias esse ad beatitudinem vias. Quæ docet, homines per ieiunia aternam vitam mereri, & Deo boni operibus pro male commissis satisfacere posse. Quæ docet, sanctos esse inuocandos, esse septem sacramenta. Peccata sigillatim in confessione detegi debere; panem mutari in corpus Christi, (tametsi ineptus prædicans hoc inuertit, dum dicit: corpus Christi mutari in panem) Christum in Missa offerri & sacrificari; Purgatorium esse. Vota Monastica obseruanda esse; Et huius generis complura. At fides, quæ ista docet; non est fides Lutherana, ista enim omnia negat & aspernatur Lutherannus spiritus, quemadmodum è contrario, fides Catholica omnia ista religiosè amplectitur ac profitetur. Fidem ergo Catholicam, hoc est, Pontificiam, annunciauit S. Otho Pomeranis.*

At oggerit prædicans: *Non hæc duntaxat Pomerani ab Orbone prædicata esse, sed & alia; nempe Catechismum; Decalogum. Symbolum Apostolicum, Orationem Dominicam. Sacramenta; (at non duotantum, sed septem, vt tu ipse fateris.) Quid tum? Tradiderit hæc S. Otho Pomeranis. An-ideo tradidit Pomeranis fidem Lutheranam? Etiam Pontificij hodiè hæc omnia credunt*

Cc

dunt



dunt & docent priuatim ac publicè. Num ideo fidem Lutheranam docent? Qui nunc ad Indos, Iaponas, Sinas, Aethiops, Brasileeses, & Mogoricae regionis incolas proficiscuntur, Catechismo, hoc est, doctrina de præceptis decem, de oratione Dominica, de symbolo Apostolico, & de Sacramentis; suos neophytos imbuunt. Num idcirco non Pontificiam, seu Catholicam sed Lutheranam fidem illis in Prouinciis serunt, plantant, rigant, promouent, amplificant?

Vide autem & ride Prædicantis obtusum acumen, qui hunc in modum argumentatur. *Episcopus Otho imbuuit Pomeranos Catechismo, hoc est, doctrina decalogi, symboli, orationis Dominicae, Sacramentorum, ergo tradidit Pomeranis illam fidem, quæ nunc in Pomerania regnat. Egregiè profectò. Sic & Catholica fides, sic & Calviniana perfidia Lutheranæ sectæ accensibitur, quia tam hæc, quam illa in prædictis capitibus suos ante omnia instruit ac erudit. Sed progrediamur in Quæstionibus Prædicanti ad solutionem proponendis.*

III. Vtrum satius fuerit Pomeranos mansisse in Ethnica superstitione, quam à S. Othone ad talem Christianam fidem, hoc est, ad Pontificiam traductos fuisse. Hic iterum Prædicanti vox faucibus hæret. Libenter affirmaret: sed non audet omnino, quamuis alioqui mortalium audacissimus. Et tamen affirmare deberet; si Lutheri scriptis, præsertim Diabolico libro *de Papatu per Diabolum fundato* conuenienter respondere vellet. Nam in isto libro *Papa, Papatus & Papista* non tantum ad inferos, sed & propemodum infra inferos, tantumquam omni Ethnicismo, & omnibus Ethnicis deteriores, a-mandatur. Nullo modo ferre possumus, vociferatur Lutherus, *vs Papatus sit vera Christi Ecclesia, aut pars Ecclesie, sed est abominatio vastationis, Antichristus & Antikimenos.*

Occidit prædicans: Hodie esse alium Papatum, quam fuerit tempore Othonis Episcopi: nam Papatum indies mutari: posteriores Papas decreta antecedentium abrogare; Nunc hoc, nunc aliud ab illis credendum obtrudi. Sed prædicans iste solenne suum tenet, hoc est, mentitur. Nullus enim vnquam Papa vllius antecessoris sui canonem seu definitionem ad fidei dogmata pertinentem vnquam



quam mutauit: neque vllum vnquam, mutationis huius exemplum verum prædicans proferet, non si illa quærendo & indagando ruperit. Qualis hodie Papatus talis fuit sub Paschali, à quo S. Otho consecrationem Episcopalem accepit; talis item sub Callisto, à quo S. Otho Pomeranis Apostolus datus est. Nec ipsi Nouatores hoc ignorant. Quem enim Papam magis execrantur ceu nimis rigidum Papatus assertorem ac vindicem, quàm Gregorium VII. cuius successores fuere Paschalis & Callistus, licet non proximi.

At reperit prædicans elabendi rimulam. Dicit, inter illos, quos Otho ad fidem conuerterit, multos fuisse, puros & admodum defectatos, hoc est, Lutheranos, qui scilicet idem omnino crediderint, quod Lutherani nunc credunt. Et tamen si ex his multis, vel vnum nominari, vel tibi filii postules, Prædicans obmutescet. Nam quòd profert exemplum Helix, conquerentis, se solum relictum, cum tamen diuino responso edoctus fuerit, aliquot millia superesse, qui Idolo Baal genua non incuruauerint; id tum demum ad rem faciet, si prædicans nobis euidenter probauerit, sibi quoque diuinitus patefactum esse, aliquot millia ex iis, quos S. Otho ab Ethnicismo ad Christianismum traduxerat, fuisse Lutheranos, & Romano Pontifici, genua non inflexisse; sed eum, Lutherano more, pro Antichristo habuisse. Si quid tale sibi diuinitus reuelatum solidè ostenderit, tum fidem nobis faciet. Priusquam hoc præstet, prædicantem non rem, sed verba, rei inania, lectoribus dare certò credemus.

At prædicanti æstuanti & anhelanti non nihil suppetiarum fert Lutherus in libro de *Missa priuata & vnctione sacerdotum* Tom. 7. Lat. VViteb. quo in loco docet, veram Ecclesiam esse, I. *Vbicunque est verus baptisimus.* II. *Vbicunque in publicis suggestis & Dominicalibus concionibus textus Euangelij in idiomate cuiuslibet terra legitur.* III. *Vbicung, docetur remissio peccatorum & absolutio tum in confessione, tum publicè.* IV. *Vbicunque est Sacramentum altaris, etiam sub vna specie, quod sub Pascha, aliàs bis aut ter quot annis Christianis porrigebatur.* V. *Vbicung, est vocatio & ordinatio ad Parochias & ministerium verbi.* VI. *Vbicunque sunt clauces ad ligandum & soluendum*



dum, & consolandum in mortis agone. nam apud plerosque hic mos obseruatus est, inquit Lutherus, vt in mortis agone constitutus, imago ostenderetur crucifixi Christi, & admonerentur mortis & sanguinis Christi, &c. VII. Vbicunque est Psalterium, Oratio Dominica, Symbolum, Decalogus, & multa pia & egregia cantica; quale fuit; Veni sancte Spiritus: Item: Du bitten wir den heiligen Geist/te? Vbicunque fuerunt ista verè sancta & sanctorum reliquia, ibi fuit & est vera sancta Christi Ecclesia, ibi manserunt sancti. Hæc Lutherus.

Ex quibus manifestè consequitur apud Pontificios seu Papistas & esse & fuisse veram Ecclesiam, veramque fidem, Et Pontificios seu Papistas verè & esse & fuisse sanctos; quia hæc omnia, quæ Lutherus commemorat, apud illos & sunt, & fuerunt, & manent. Ideo in hac Ecclesia, inquit Lutherus, Christus certò fuit (& est) presens, & spiritus Christi, ac conseruauit, (hodieq; conseruat) veram cognitionem veramq; fidem in his suis Electis.

Deinde, si qui verè baptizatus est; si qui audit ex publicis cathedris Euangelij textum: Si qui credit remissionem peccatorum; & symboli Apostolici Articulos: si demum, quia à Luthero recensita aut habet, aut vsurpat, verè sanctus & electus, hoc est, Lutheranus est. (Neque enim Luthero alius verè sanctus & electus est, nisi Lutheranus) tunc omnes Papista sunt verè sancti & electi; quia omnia supradicta habent. Cur ergo à Luthero & Lutheranis tot maledictis configimur, & tanquam Dæmonis mancipia, diris omnibus dirissimè deuocemur? Si Lutherus, & Cramerus operæ pretium facere, nec lectores ludificare cogitant, ostendant nobis fuisse in Ecclesia, quam S. Otho in Pomerania condidit, plantauit, rigauit, amplificauit; qui crediderint omnia & per omnia, quæ in confessione Augustana & in Formula Concordiæ continentur; Nam hæc professio tam Lutheranam Ecclesiam, quàm Lutheranum hominem, hoc est, Luthericè sanctum & electum constituit; non autem illa, de quibus ex Luthero & cum Luthero garrit prædicans. Quem tamen commendatione dignum existimo, cum liberè fatetur, in Papatu fuisse vera Biblia, die rechte heilige Bibel / des wahren Gottes wahren Wort. Si vera Biblia erant in Papatu; cur ergo Lutherus Biblia à Papatu



patu & ex Papatu accepta truncauit, mutilauit, vertit & inuertit? Cur integros libros amputauit? Anne fas est, vt ex veris & sacris Bibliis non modò multæ sententiæ, sed & multi libri refecentur?

Secundò, si vera Biblia, & verum veri Dei verbum fuerunt in Papatu; mentitur ergo Lutherus, & cum illo Prædicantes, quando toties ad rauim vsque vociferantur; *Biblia & verbum Dei, fuisse in Papatu sepulta & penitus obruta; & à se iam demum ex tenebris in lucem extracta*; Præsertim cum apertè fateantur, totius anni decursu textum Euangelicum auditoribus de loco superiore fuisse prælectum, etiam per Monachos & sacros, vt isti Catholicos Sacerdotes appellitans, & addit Calumniator, pro singulari gratia Dei reputandum, quòd Deus per tam immunda vasa tam mundum liquorem in corda hominum transfuderit. Scilicet Deus verbi sui fluentis in corda fidelium Pomeranorum deriuandis prius puros & mundos canales non habebat, quàm Bugenhagius, Knipstro & alij, de quibus supra, scedifragi Monachi cucullos suos exuerent, & in mulierum amplexus, admissariorum instar, ruerent. Sed ad Quaestiones.

IV. Vtrum Pomerani à S. Othone conuersi, & qui postea vixerunt vsque ad Lutherum, & in accepta à S. Othone religione obierunt, beatitudinem consecuti fuerint.

Affirmat Cramerus; nec aliter potuit; quia si Pomeranos Christianos, qui Lutherum antegressi sunt, vniuersum ad inferos ablegasset, periculum capiti suo creasset; nec enim credibile est, Pomeranos hodiernos tam parum suorum maiorum esse obseruantes vel amantes, vt passuri sint eos, aut huius aut alterius Prædicantis calculo, æternis flammis addici.

Sed vide, quibus argumentis adductus, Prædicans, Pomeranos superioris æui in cælo collocet. I. *Fuerunt verè baptizati; sciuerunt Catechismum, & Symbolum Apostolorum. Perceperunt corpus & sanguinem Domini. Crediderunt Deum trinum & vnum. Respondeo; si hæc ad beatitudinem consequendum adultis sufficiunt, causam dicere non poterit, cur Catholicos, hoc est, vt*



ipse vocat, *Papistas*, huius ætatis à cælo excludere tenet. Nam & ipsi vero baptisate tincti sunt. Norunt Catechismum & symbolum Apostolicum, corpus Christi manducant, eiusque sanguinem bibunt. Credunt Deum trinum & vnum. Imò & Calvinistæ litem Lutheranæ huic Prædicanti de possessione cæli intendunt, dicentes sibi abunde suppetere omnia, quæ Prædicans ad æternæ felicitatis asecutionem requirit. Et tamen Lutheranus iste Præco ægrè se impetrari sinet, ut Calvinistis aditum ad cælum pandat.

Adde, mirum videri posse, quomodo iste superioris meritiæ Pomeranos in cælitum contubernium recipiat; qui Lutheranorum iudicio, fuerunt *Artolatras* & *Idolatras*. Adorarunt enim venerabile Eucharistiæ Sacramentum. At in schola Lutheri nihil certius est, quàm hanc adorationem, esse artolatricam, hoc est, idolatriarum extremam. Inuocarunt in super sanctos. Coluerunt sanctos. Venerati sunt imagines, præsertim Christi crucifixi, teste ipso Prædicante. At hæc omnia non tantum idolatriam olent, sed & ipsissima idolatria sunt, ex Prædicantium placitis. Non ergo magis in cælum admitti debent, quàm Idolatras, qui aduentum S. Othonis in Pomeraniam præcesserunt; quia S. Paulus, omnes Idolatras indiscriminatim à regno Dei excludit. Nam quid interest siue quis sit Idolatra baptizatus, siue non baptizatus? Sicut sanè ad interitum nihil refert, siue quis sit Iudæus baptisate tinctus, siue à baptisate intactus. Imò grauius iudicium subiturus videtur, qui baptizatus idolatra est; quàm qui idola non baptizatus colit.

Nec est, quòd ignorans Prædicans ad ignorantiam confugiat: recinetur enim vulgare illud: *Ignorans ignorabitur*. Addeatur & hoc. Etiam illos Idolatras Pomeranos qui S. Othonem antecefferunt, laborasse ignorantia; neque propterea in cælo inter cælites degere. Miseros Pomeranos, opera S. Othonis Christiana religione institutos, qui ab ignorantia grauisimarum rerum, & à densissimis tenebris literari aliter non potuerunt, nisi postquam Paulus à Rhoda, Bugenhagus, & similes excucullati Rupicones à Luthero eiusdem Prædicanti mon-



si monstro illuminati, Pomeranos porro illuminare, hoc est, excæcare cœperunt. At hoc nimis seruum erat. Iam enim à prædicatione S. Othonis in Pomerania, aliquot Pomeranorū myriades ex hac vita ad aliam migrarant, neque lucis Lutheranae amplius capaces erant.

Obstrepiat Prædicans; fuisse olim puriorem Papatum, quàm hodie: hoc est, non tam multa Lutheranò naso molesta, olim in Papatu tradita, quàm multa hodie traduntur. Hoc commentum iam supra refellimus: nam quod Petrum Lombardum, & S. Bernardum nominat, ætati S. Othonis suppare, quid inde? Quàm parum S. Otho Lutheranus fuit; tum parum S. Bernardus & Lombardus Lutherani fuerunt, hoc est, addidit illi doctrinam, quam hodie Lutherani profitentur. Deinde ad damnationem parum interest, siue quis sit maior, siue minor idololatra, dummodo sit idololatra; potest hoc quidem ad poenam vel augendam, vel minuendam facere; certè ad penitus tollendam, nihil omnino facit.

Secd en aliud argumentum, quo adductus Prædicans priscos Pomeranos in cælum tollit, licet sanctos inuocauerint, imagines honorauerint, Eucharistiam adorauerint, Pontifici Romano debitum honorem detulerint; vitam monasticam coluerint, & opibus suis fouerint, plurimis extructis Monasteriis; & sexcenta talia fecerint, quæ Lutherani hodie partim vt Idololatrica, partim tanquam Antichristiana execrantur. Prisci Pomerani hinc læti excefferunt in fide, qua imbuti fuerant; cum dolore de malè commissis, cum proposito emendationis, si diuturnior vsura lucis obtingeret: firmiter credentes, Christum pro peccatis ipsorum crucis supplicium subisse; nec aliud esse nomen, nisi Christi, in quo nos oporteat saluos fieri: Ergo dubitandum non est, antiquos Pomeranos, licet nondum Lutherani Euangelij radiis collustratos, ab vltima beatitudine non excidisse.

Hic iterum Lutherista, non modò Papisia, sed & Calvinista bipatentem portam ad cælum aperit. Nam Calvinista dicet, se limini mortis admotos, nihil horū omittere. Idem & Pontificij de se affirmabunt. An igitur Prædicans eos cæli honore dignabitur? At hic denuo ad ignorantiam sese recipiet.

Verum



Verum nos idem, quod antea, reponemus. Si ignorantia priscis Pomeranis scala in cælum fuit, patiatur, vt & nobis sit. Dicit: *Nos, tam clarè iam fulgescente Lutherano Euangelio, non posse amplius ignorantione excusari, vtpote qui scienter cognita veritati aduersumur, ac proinde hoc beneficio indignos esse.* Respondeo, Si Cramerus nos Europæos ex cælo excludit eo quod ad cognitos Lutherani Euangelij radios lumina nostra claudimus; at saltem Indos, Japonas, Sinas, Aethiopas, & similes, qui nihil de Lutherano Euangelio norunt; (quia eis non hoc, sed illud annunciat, quod S. Otho annunciauit Pomeranis) cælesti domicilio adscribere debebit: baptizantur enim, & quidem legitime; discunt Catechismum. Norunt Symbolum, decem præcepta, percipiunt corpus & sanguinem Christi, æquè ac olim Pomerani. Morituris proponitur imago Crucifixi; prout requirit Lutherus. Profitentur se non habere alium Redemptorem nisi Christum. Dolent de peccatis admissis. Firmiter statuunt, si reualescant, se vitæ rationes ad præscriptum legis diuinæ accuratius composituros. Quid multis opus est? Omnia faciunt, quæcunque à veteribus Pomeranis in cælum receptis Prædicans factitata scribit. Et tam parum, vel certè non multò plus de Quinto Euangelio norunt, atq; Pomerani temporibus S. Othonis sciebant de Euangelio Lutheristico. Quo igitur titulo istos à perpetua illa beatitudine exulare iubebit; vt maxime nobis Germanis, quos vndique radiis suis sol Lutheranus circumfluit, ignorantia non opituletur.

Cæterum, vt verbis compendium faciam, & rem in pauca conferam, Cramerus à Prædicantico genio non discedit; quia hac in re tota Pomeranis fucum facit & fumos vendit: inprimis enim nullum vnquam nominare poterit, qui à S. Othone eam fidem hauserit, quam nunc Lutherani profitentur, & qua se saluos fore credunt. Obeat & lustrret, omnes Pomeraniæ angulos, omnium ætatum annos à S. Othone vsque ad Lutherum percurrat; si vel vnicum ex tot chiliadibus à S. Othone Christo lucrifactis repererit, renunciet id nobis, & tam venerandam Lutherani Euangelij caniciem venerari & admirari incipiemus.

Acce-



Accedit, quod non satis est, vnam vel alteram viuificæ & saluificæ fidei partem amplecti. Tota tenenda est, si salutem consequi velis; nam vt habet Symbolū Athanasianum, *quicumq; vult saluus esse, ante omnia opus est, vt teneat Catholicam fidem, quam nisi quisq; integram, inuiolatamq; seruauerit, absq; dubio in æternum peribit.* Si enim satis esset aliquam vel aliquas particulas tenere, vix vltus sectarius à cælesti patria excideret, cum nullus sit, qui non aliquod saltem dogma veræ fidei retineat. Si ergo Lutherana fides, quæ hodie in Pomerania viget, vera, Catholica, & Apostolica fides est, prout quidem sibi, & suis sectatoribus Prædicantes persuadent; oportet, vt qui huius fidei adminiculo, salutem interminabilem consequi cupit, omnia istius fidei dogmata & placita amplectatur, saltem virtute, & vt vocant, implicite; ita vt nullum habeat assensum positiuum, qui ei repugnet; alioqui inficiabitur, verum esse, quod fides illa tradit. At Pomerani veteres, quos Cramerus cæli sedibus deturbare non audet, non tantum ignorarunt aliqua dogmata, quæ Lutherana professio, tanquam Primaria tueretur, sed iis penitus aduersa defenderunt & crediderunt; & quæ Lutherana secta tradit, respuerunt, vt ex his exemplis apparet. Nam Lutheranis fundus, & fundamentum est, hominem sola fide Iustificari. Contrarium tenuerunt & crediderunt veteres Pomerani, teste ipso Cramero. Sanctos, Eucharistiam & imagines colere, Lutheranorum iudicio, idololatricum est. At veteres Pomerani hæc ita fecerunt, vt nisi fecissent, ingentis piaculi se reos futuros existimassent; nec hoc Cramerus dissimulare potuit. Præterea alia, quæ ex ipso Prædicante, antea recensuimus: in quibus veteres Pomerani cum hodiernis non magis conueniunt, quàm lux cum tenebris, & calor cum frigore.

•••)o(•••



Dd

Jn



*In Caput sextum libri primi  
S. Othonis.*

**P**raedicans cap. 3. sui Chronici multa mentitur de Gregorio VII. Papa. Quibus ego repono quinquaginta illos Auctores, quos in Apologia pro Gregorio VII. protuli; praeterea Gerochum Reicherspergensem, & alios, de quibus nuper actum in brevicula Apologia pro eodem Gregorio aduersus Annae Comnenae loedorias, ut omittam paulo post euulgandos alios Gregorianae sanctimoniae testes. Rudolpho quoque Regi, qui in praelio manum amiserat, affingit Praedicans, non quae Rudolphus dixit, sed quae dixisset, si eo, quo & Praedicans animo, in Gregorium VII. fuisset. Capite quarto mentitur Praedicans, inuestituras Episcoporum & aliorum Antistitum a Carolo Magno, vsq; ad Gregorium VII. semper penes Imperatores fuisse: Hoc a vero alienum esse, docebit te Apologia mea pro Gregorio VII. & alia pro Cardinali Baronio, vbi de hoc ex instituto copiose disputauimus.

*In Caput X.*

**D**istulit S. Otho consecrationem suam in triennium vsque. causa dilationis redditur cap. 8. Praedicans cap. 5. sui Chronici mentitur, causam dilationis huius fuisse Ruthardum Archiepiscopum Moguntinum, a quo S. Otho consecrationem obtinere nequiuisset, nisi Pontifici Paschali se subiiceret, & ab eodem Inuestituram, hoc est, annulum & baculum pastorem acciperet. Sed rem secus habere, discas ex cap. 8. quia Ruthardus sede sua ab Imperatore schismatico Henrico IV. pulsus, in Turingia exulabat; quare Othonem consecrare non poterat. Deinde ipsemet Otho, religione tactus, noluit consecrationem accipere, nisi de manu legitimi pastoris; nempe Pontificis Romani; annulum & baculum acciperet, animaduertens, se & praeter & contra Canones egisse, quando ab Imperatoris



roris manu se inuestiri passus est. Nam si ab alio, quàm à Pontifice consecrari voluisset; neq; eum ob Inuestituram ab Imperatore acceptam, conscientia remordisset; facillimè ab Imperatore alium consecratorem impetrasset: qui enim non erubuerat Ruthardum in exilium detrudere religioni sibi non duxisset; si eiusdem loco alium ordinatorem Othoni conduxisset.

Ait Prædicans; scrupulum Othonis, ob Inuestituram fuisse intempestiuum. Credo, Prædicanti satis videri & esse intempestiuum. At non Othoni, quia tempus erat, vt deserto Mercenario, ad verum Pastorem se reciperet, à quo in ouile Dominicū admitteretur; ne si aliunde ascendisset; neq; per ostium in caulam intrasset; non Pastor, sed fur & latro haberetur.

Clamat; Othonem sese subiecisse Paschali Tyranno & Antichristo; Ex quo sequitur, priscos Pomeranos, ab Antichristi satellite, & tyranni mancipio; Christianam fidem accepisse. Quis autem credat, Apostolum Antichristi, veram & saluificam fidem, aut docere aut docuisse? Quocirca iterum opus erit, vt antiquos Pomeranos, quos ob fidem ab Othone acceptam, Prædicans prius ad superos sustulit; descendere, & ad inferos migrare iubeat, cum veram & saluificam fidem ab Othone non acceperint, si Otho Antichristi minister fuit.

Mentitur Prædicans, Othonem à Paschali fuisse Romam vocatum, vt sibi ad genua procideret. Nihil huius apparet in epistola Paschalis ad Othonem. Vocatus enim est, vt à Pontifice, legitimo ritu, & annulo & baculo, & consecratione Episcopali donaretur: Quod postea, consueto more, prouolutus ad Pontificis pedes, eidem debitum honorem detulit, id obseruantię & officij fuit; nam & Prædicans, opinor, genua flectit, quando ad illustrissimum Pomeranorum Ducem accersitur. licet non eo sine aduocetur, vt genua flectat, sed alias ob causas.

Hallucinatur Prædicans, cum scribit; Othonem Romæ à Paschali fuisse consecratum; Non Romæ, ô bone, sed Anagninæ, vt ex cap. 10. manifestum euadit.

Inuehitur Prædicans in Pontificem, quòd se efferat supra Imperatores, quos tamen scriptura appeller Deos. Audi Prædicans;



Pontifex non effert se supra Imperatores; sed Christus extulit; hoc ipso, quòd Pontificem, Pastorem vniuersalem: Imperatorem verò, Agnum seu Oviculam sub hoc Pastore fecit. Quis maior? Pastor an ouis? Quis supra alterum? Num Pastor supra ouem? An ouis supra Pastorem? Etiam Pontifices, *Dij* in scriptura nominantur; quia omnes iudices *Dij* appellantur; At Pontifices quoq; iudices sunt; ergo & *Dij*. Si omnes Pontifices sunt Iudices, multò magis iudex, & sic *Dij*, annumerandus erit summus inter Pontifices cui cæli arbitrium datum, & plena soluendi atq; ligandi potestas.

Capite sexto acriter insurgit Prædicans in S. Othonem, quòd pro Henrico filio contra Henricum Patrem steterit. At hoc factum Othonis nemo nisi schismaticus aut Hæreticus vnquam culpauit; cum Otho fecerit, quod, vt fieret, tam Ecclesiæ, quàm Reipublicæ incolumitas efflagitabat; quodq; Deus ipse paulò post, mirabili euentu cõprobauit, in ordinem coacto, & mox penitus sublato Henrico seniore; qui toties fidem sefellera, totq; annis, innumeris calamitatibus Ecclesiam miserandum in modum diuexarat. Nec solus Otho Henrico se opposuit, sed pleriq; alij tam Politici, quàm Ecclesiastici Proceres, quibus salus patriæ curæ & cordi erat.

At captus est Otho cum sociis Romam proficiscens. Quidrum? An nemo vnquam insons captus, & in vincula abreptus est? Cur retices Prædicans, quomodo Otho, & alij Principes per VVelphonem Noricorum Ducem, valida manu liberati fuerint, eò adactis iis, qui Othonem & alios Præfules ceperant; vt nudis pedibus ab Episcopis veniam postularint, vt scribit Vrspergensis; cuius lectio omnes nebulas ab isto calumniatore sparsas, è vestigio dissipabit.

Ait Prædicans: *Se ista de Othone referre, non detrahendi studio, sed ne arbitremur, eum, ab omni labe parum & integrum vixisse. Damit wir nicht Otten zum Engelreinen Bösen aufwerffen. Ne Othonem pro Idolo Angelica puritate prodito venditemus. Metuebat nimirum Prædicans, futurum vt hodierni Pomerani Othonem in fauorù numero haberent, nisi eum, tanquam proditorem & maiestatis reum, per ora vulgi Lutherani traduceret. Imò adeo hac in re Otho*



re Otho omni culpa vacauit, vt maculam haud leuem contraxurus fuisset, nisi sese ad Catholicorum cœtum contra schismaticos aggregasset.

Cap. 7. dentes stringit prædicans in Paschalem Pontificem, quòd cum filio Henrico non egerit clementius, quàm cum parente. At nil mirum, quandoquidem Henricus promissis non stetit, & *Inuestituris*, bonisque Ecclesiasticis æquè ac parens contra fidem datam, inhiare cœpit. Num verò Pontifex pacta violarit, an Henricus, disces ex illis, quæ ex veterum monumentis tradit Baronius Tom. XII. Anno Christi MCX. & MCXI. Quid autem tempore huius Schismatis Otho egerit, non liquere ait prædicans. Vtunque sit, hoc certum esto, à sede Apostolica non discessisse, cuius tantus assertor erat, vt iam pridem huic prædicanti stomachum non modò verterit, sed & propemodum euerterit.

*Fn Caput XVII. & seqq.*

**H**is capitibus explicatur, quæ nam Monasteria & Tempia S. Otho variis in locis extruxerit, & proventibus annuis instruxerit. Hic quid agat prædicans, ipsemet nescire videtur, vt apparet ex cap. 7. Chronici. Laudare non audeat, quia Lutheranus est. Culpare veretur, non religionis, sed ventris sui & suorum causa; nisi enim Otho & alij tam multa Monasteria olim condidissent, & opibus largiter ditassent, Lutherani opimis bolis persepe caruissent, nec, quod rapacibus vngulis diriperent, habuissent. Prædicantibus etiam esca & potus multis in locis deforet, teste ipso prædicante, nisi ex his spoliis cum sua domestica Ecclesia, quæ plerunque numerosa est, alerentur. Itaque vel eam ob causam commendare deberet prædicans S. Othonem, quòd nunc prædicantibus, Othonis beneficio, uictus suppetat, quibus alioqui cum fame, tanquam cum exætra, strenuè depugnandum fuisset. Quàm enim Lutherani erga prædicantes suos parum sint dapiles, imò quam in subministrandis necessariis iniqui, flebilibus threnodiis testat

D d 3 tum



tum faciunt ipsi prædicantes, vt in libro contra Regem Angliæ cap. 14. fusè ostendi.

Nunc audiamus Sectariorum hoc æuo vexilliferum Lutherum, qui Tom. 2. Epist. Lat. Epist. ad Rigenfens hanc lamentationem nobis demodulatur. *Multum nunc & concionando & scribendo monui, ex vsu fore publico, si bonis scholis oppidatim institutis, cum masculis, tum puella liberaliter educati optimis disciplinæ imbuerentur, &c. Quæ in re sic vtili, sic necessaria, sano contempto consilio, immane quantum omnes homines cessatores esse video, tam frigide & supinè ad id affectos, perinde ac si nemo non velit despondere animum, & omnibus propter annonæ caritatem sit contabescendum; adeo, vt putem breui nobiscum ventum iri, vt submotis præceptoribus & prædicatoribus, isdem sit operandum manibus, aut alia ineunda via, quæ famem à se propulsare queant, relicto verbi officio, &c. Cui autem hoc non videatur miserandum & erumnosum? Præsertim cum, vt Lutherus in cap. 47. Geneseos scribit, illa ipsa etiam, quæ capiuntur ex Monasteriis, & Templis, liberalitate priscorum munificè locupletatis, in Caci speluncam, auersis vestigiis, auertantur, vix modica portiuncula ad prædicantes deriuata.*

*Si centum tantum aurei, inquit Lutherus, pro scholis publicis commodi gratia erigendis, & concionatore probato nutriendo forent pendendi, ibi dum mox omnia presentem intentant inopiam. Hic mendicorum nobis formidanda est conditio, hic nihil est, quod dari possit. Hic breuiter, occupata arce, regnat auaritia, obstat victus diurni angustia, & tenuitas & imminenti famis periculum.*

Hæc ex Luthero referre placuit, vt ostenderem, prædicantem Pomeranum non sine causa S. Othoni agere gratias, nam nisi eius opera Pomerani tot templa & Monasteria excitaissent, & annuo vectigali copiosè ditassent, forsitan Cramerus Stetini tamdiu mendacia sua venum non exposuisset, fame compulsus aliò se & suos trāsferre. Nam priusquam Templa, Monasteria & bona Ecclesiastica inuassent, Pomerani suo seductori & impostori Ioanni Knipstro pro mentiendi labore quorannis quinque duntaxat Taleros persoluebant, vt scribit ipsemet Cramerus lib. 3. Chronici cap. 16. ita vt Knipstro ille dicere consueverit; *Sibi oblatim mendicandum fuisse, nisi vxoris suæ*  
netri-



metricis opificio alimenta acquisiisset. Nec sanè maiore salario dignus erat.

Hic porro tacitus præterire nequeo, quàm Cramerus insignis sit interpres; nam cap. 8. Chronici sui hæc latina verba: *Episcopus (Otho) vinum illi terra (Pomeraniæ) deesse nolens, in secunda profectioe cuppam furculis plenam attulit, & implantari fecit, vt tellus in vsum sacrificij vinum procrearet: sic Germanicè reddit, damit man künsttig zum Gebrauch des Abendmals Christi / Wein im Land hett: vt pro vsu cœnæ Dominicæ vinum in promptu esset; quasi S. Otho de cœna Lutherana sollicitus fuerit, de qua ne cogitare quidem poterat, cum necdum in stygio foco cocta esset. Vertere debebat prædicans; damit das Land Wein triege / für das Opffer der Mess. Sed prædicans vocem sacrificij horruit. Quo- circa aliam foro suo magis accommodam substituit.*

Quia verò capite XVII. facta est mentio Monasterij Monasteriensis à S. Othone restituti, placet hoc loco referre de extruptione & restitutione cœnobij huius versus quosdam, tametsi malè dolatos & tornatos, qui olim in eius Monasterij templo legebantur.

*Tassilo dux Boiim qui nomine dicitur ipsa  
Tertius, ille pius fundat & adificat  
Istud cœnobium Munster quod habere videtur  
A monachii nomen, vt que hodie vocitant.  
Anni sub numero Domini, septingintia decemq;  
Lustra ierant, sed mox fit solitudo iterum.  
Princeps Arnolfus siquidem Bauarorum, agitat  
Eumenidum furis in cinerem redigit.  
Utrix illico quem Nemesis sequitur, meritamq;  
Persoluit pœnam, Sylla velut moriens.  
Post diuus veniens præsul Bambergius Otto  
Nempe Lotharius vt Induperator erat  
Romulidum quo tempore destructum reparauit  
M C sub vno anno ... Erns .....  
Historia referuntq; Ducem supra memoratum  
Cui monasterion hoc construere placuit.*

*AEdes*



Aedes deinde monasterium fundavit amonas:  
Sic fundatorem lector amice tenes.

Reperi in antiquo codice quodam Innocentij II. Pontificis & aliorum Epistolas nonnullas ad idem Monasterium pertinentes; quas attexere visam; licet alicubi lacunis interruptas.

I.  
Henrico.

**I**NNOCENTIVS Seruus seruorum Dei, \*H. Ratisponensi Episcopo, Salutem & Apostolicam benedictionem. Sicut tu nouit fraternitas, ad Episcopale officium pertinet religiosos viros manutene, & diligere, & paterna sollicitudine eis necessaria providere. Vnde bona memoria antecessor tuus Episcopus Cuno monachis in Ecclesia beati Petri in loco qui vocatur Monasterium Deo seruientibus, Ecclesiam beati Sixti cum parochia sibi adhaerente tradidit. Nunc autem, ipsius loci Abbate referente didicimus, quod praedicta Ecclesia & parochia ablata est, & fratres, ad quorum solatium tradita erat, exinde graue incommodum patiuntur. Quocirca per praesentia tibi scripta praecipiendo mandamus, quatenus eisdem fratribus praesatam Ecclesiam cum parochia restituas, & de cetero ipsis tanquam pius & bonus pastor misericorditer prouidere studeas.

II.

**I**NNOCENTIVS Episcopus Seruus seruorum Dei, Venerabili fratri Heinrico Ratisponensi Episcopo, Salutem & Apostolicam benedictionem. Ad tuum spectat officium religiosos viros diligere, & illorum necessitatibus prouidere. Quocirca per scripta praesentia dilectioni tuae rogando mandamus, ut Monasteriensibus fratribus . . . . . decimationum & oblationum parochia ipsius . . . . . antiquo & concessione praedecessoris tui Canonis Episcopi, ad ius ipsius Monasterij pertinere asserunt.

amote



amore Dei concedas, & nullam eis iniuriam vel bonorum suorum diminutionem inferri permittas. Data Lat. VIII, Decembris.



**N**on. Seruus seruorum Dei. Dilecto in Christo filio \* D. Marchioni. Salutem & Apostolicam benedictionem. Quisquis Deo placere desiderat, expedit ut religiosos viros diuino famulatu micipatos iuxta facultatem sibi à Deo concessam iuuet & manuteneat, & in suis opportunitatibus opem eis & consilium praebeat. Ideoq; nobilitati tuae rogando mandamus, ut religiosos fratres in Ecclesia beati Petri Monasteriensis Domino seruientes, iuues & manuteneas, & si quid de bonis eorum te iniuste detinere cognoscis, eis restituas. Valde namq; periculosum est & animarum saluti contrarium, ea qua pro remissione peccatorum aut requie animarum venerabilibus Ecclesiis concessa sunt, alienis vsibus applicare. Rogamus etiam & in peccatorum remissionem iniungimus, ut occasione aduocata vel iniusta exactione eosdem fratres vel eorum familiam inquietari ab aliquo non permittas, sciens quod pro huiusmodi Dominum propitium tibi facies, & aeterna retributionis premia acquires, Data Lat. VI, idus Decembris.

## III.

Innocentius II.  
qui Pontificatus  
init Anno  
1130.  
\* Dietpolds.



**I**n nomine sanctae & indiuiduae Trinitatis. \* Eberhardus Dei gratia Ecclesia Ratisponensis Electus, & vniuersus eiusdem Ecclesia chorus, Cuncto venerabili Abbati Monasteriensis canobij, & fratribus, eorumq; successoribus in perpetuum. Cum unicuique sua debeat respondere iustitia, questionem illam, qua contra vestrum monasterium per ignorantiam forte iuris vestri, vel aliam quamlibet occasionem, in diebus vestris emerferat, de parochia Monasteriensis, Ecclesia videlicet beati Sixti, &

## IV.

\* Episcopus factus Anno 1165.  
Hund. in Metropoli.

Et de



*Innocentius  
II.  
Lotharius II.  
Chuno primus,  
qui Episcopatu  
misit 1126.  
Henricus pri-  
mus, successor  
Cunonis in Epi-  
scopatu Ratis-  
bon. 1130. de  
quibus supra  
primo diplo-  
mate.*

de decimis ad eam pertinentibus, diligenti consideratione animaduertimus, & auditis plenius allegationibus vestris, & perspectis priuilegiis, Apostolica videlicet \* domini Innocentij, & Imperiali domini Lotharij, simulq; Pontificali beatae memoriae Cunonis, & Henrici dominorum & patrum nostrorum auctoritate roboratis, statutis & vestigiis eorum debita cum reuerentia inherere, & pro vobis sententiam ferre super hac questione decreuimus, tam rationis, quam etiam fraternae charitatis & compassionis intuitu, vestrae quieti & necessitati non solum in temporalibus, sed etiam in spiritualibus provide-  
re cupientes.

Praefata itaque parochia donationem vobis & vestris successoribus adiudicantes, . . . . . decimarum & oblationum quae inde proueniunt, in usus stipendiorum vestrorum confirmantes, plena consensus nostri firmitate stabilimus, ut nulla Ecclesiastica secularisue persona a modo super hac re vos inquietare aut molestare presumat. Quisquis autem hoc violauerit, aut temere transgressus fuerit, perpetua condemnationis maledicto subiaceat.

## V.

*\* Conradus  
primus, diem  
extremum clau-  
sit Anno 1147.*



Omino & patri suo, sanctae & venerandae Romanae Sedis antistiti Innocentio \* C. Salzbürgensis Ecclesiae humilis minister cum humili obedientia & fideli seruitio indefesse orationis tam deuotum quam debitum affectum, Dominus IESVS Ecclesiasticae curris arcem in Apostolica fidei fundamento locare volens, Romanae dignitatis sic ordinauit officium, ut in huius sanctae sedis auctoritate, totius suae domus firmaret ac stabiliret adificium. Proinde venerande Pater, quia caput nostrum Christus membris suis in hac radiosae peregrinatione laborantibus, praecipuum post se consolatorem & visorem vos instituit, merito omnium Ecclesiarum sollicitudo vobis incumbit, quem solum Deus omnibus praestituit.

Ob-



Obsecramus itaque paternitatem vestram, quatenus fratrum Monasteriensis cœnobij necessitates clementer ac benignè audiat, & quod humiliter petunt, sicut facile potestis, efficaciter concedatis. Siquidem iam dictum cœnobium ab antiqua institutione cum magna reddituum & pradiorum impensa diuinis obsequiis sub monastica professione assignatum fuit, & multis temporibus nullo perturbante inconcussum & quietum permansit: Postea autem ipse iam prefati loci prædia, violenta quadam distractione ablata, regalibus vsibus addita sunt, & monachis propter ablata sibi subsidia discedentibus, nullus, aut omnino exilis diuini seruij cultus ibi fuit. At verò quia nunc denud boni & spirituales homines in locum pauperculum restituti sunt, ecce illi sub vestram tutelam confugiunt, & vt sub paternum præsidium eos suscipiat, & recognoscendis bonis quæ ablata eis sunt operam detis, humilissime ac deuotissime petunt.



Arissimo Domino suo & Patri INNOCENTIO, VI.  
Dei gratia summo Pontifici, T. sancta Rufina minister indignus, quod Domino seruus, quod patrè filius.

Monasterium quoddam in Episcopatu Ratisponensi situm, Monasterium quoque nomine dictum, vt fama refert, antiquitus Sedi Apostolica delegatum & traditum, amplis & magnis possessionibus admodum dilatatum fuerat: sed peccatis exigentibus, & malis diebus superuenientibus, ad id redactum est, quod expulsi monachi, possessiones distracta, & omnia intus & foris ita destructa sunt, quod pro multis monachis vix pauci & pauperes clerici remanserunt. Postmodum verò temporibus Lotharij Imperatoris, pia memoria, Otto Bambergensis Episcopus prefatum monasterium religione & rebus penitus nudatum, cum paucis adiacentibus terris &

Ee 2

habi-



*habitu, ab Imperatore & Duce Heinrico per pecuniam obtinuit, & Ecclesie Bambergensi ab ipsis donari fecit, virosque religiosos ordinis monastici ibidem collocauit. Qui antiqua libertatis Romana videlicet dominationis suspirantes memoriam, per nostra paruitatis intercessionem ad vestra maiestatis confugiant defensionem, quatenus vestra auctoritatis patrocinio & ea qua ablata sunt ex parte aliqua recuperare valeant, & ea qua nunc habent, sub vestra defensionis tutela quiete possideant. Ad honorem & utilitatem sanctae Ecclesie sua, Vitam longam, salutem continuam tribuat vobis omnipotens Dominus.*

Haecenus varia diplomata; Ex quibus testatum fit, quam Innocentio II. Pontifici, Monasterium Monasteriense curae fuerit; Et quam variam quoque sortem variis temporibus subierit. Vidi etiam aliud diploma eiusdem Innocentij Anno Redemptoris 1141. datum, & aliud Lucij III. Pontificis Anno 1184. scriptum; quibus uterque Pontifex praedictum Monasterium in tutelam & protectionem Sedis Apostolicae recipiunt.

Quia vero in hoc ipso capite mentio itidem fit Biburgensis Monasterij, tanquam in tutelam S. Othonis olim traditi: Quocirca, non abs re fore censui, si quae in manuscripto Catalogo Abbatum Biburgensium Auentinus scripsit; hoc loco commemorarem: nam & ad S. Othonem nostrum aliquatenus spectant. Ita ergo ille.

*Anno à nato Christo Millesimo centesimo, quarto atque vicesimo, Vlricus & Gebhardus, maiores natu, fratres germani, filij Heinrici de Piburgio & Bertha ex Histria, paternam diuiserunt hereditatem. Henricus & Gebhardus sortiti sunt Hilpolestainan. Chunradus autem, Erbo atque Bertha Piburgium. Alij duo fratres horum, Eberhardus & Meginuardus, sacris initiati, Ecclesiasticiq. erant. Ille, Canon-*

*nicus*



nicus Babobergensis, atque deinde monachus Prüselingensis. Hic, Veteris Capella Ratisbonensis Praepositus. Quatuor alij filij, Otto, Magnus, Albertus, Hezelo siue Henricus, ante parentes ex hac vitâ migrarunt. Nam Henricus ille superior undecim liberos ex Bertha uxore sua progeniuit, decem mares, unam feminam Bertham.

Proximo deinceps anno, id est, Anno Christi Seruatoris nostri, Millesimo, centesimo, vicesimo quinto, Chunradus, Erbo & Bertha consilio & auxilio S. OTTONIS Episcopi Babobergensis de patrimonio suo Benedictinîs viris atque feminis Cænobium: Item pauperibus atque egenis domum (quod Hospitale vocant) adificare cœperunt, & octauo anno cœpleuerunt, hoc est anno salutis Millesimo, centesimo, tricesimo tertio.

Quo etiam anno in die Simonis & Iuda, diuus OTTO Babobergensis Episcopus, & Henricus Comes de VVolfratshausen, cognatus Bertha uxoris Henrici Superioris, Pontifex Ratisbonensis templum consecrarunt. Eberhardus monachus eo tempore Prüselingensis fit Abbas: frater eius Vlricus de Stain, aduocatus: qui & Percham dono dedit monasterio.

Innocentius secundus Pontifex Maximus comprobauit, atq; diplomate suo firmavit.

Diuus Eberhardus primus Abbas, natus Patre Henrico, matre Bertha, Baboberga literis eruditus est, ibiq; Canonicus factus. Deinde cum Praeceptore in Urbem Parisiorum missus, Philosophia operam dedit. Reuersus à studio Babobergam, ad Monasterium S. Michaelis clamiuit, monachumq; se profiteri cepit. A Diuo OTTONE Episcopo Babobergensis ad Prüselingam transfertur; quod templum idem OTTO condidit. Vbi sanctus Eberhardus degit vsq; ad consecrationem Piburgensis Monasterij à fratribus suis constructi: Praefuitq; Cænobio annos tredecim, menses quinque, dies decem.



Nam Chunrado primo Archiepiscopo Salzbürgensi de A-  
bensberg oriündo cognato & vicino suo in Pontificatu successit.

Electusq; est anno Christi Millesimo, centesimo, quadra-  
gesimo septimo. Quo anno, eius iussu, Ebrordus & Henricus  
scripserunt Bibliam, Origenisq; homilias. Item alios libros,  
qui adhuc extant Piburgij & monstrantur. Presedit Sals-  
bürgensi Ecclesia annos decem & septem, menses undecim,  
dies decem. Obiit anno Christiana salutis Millesimo, cente-  
simo sexagesimo tertio, decimo Kalendas Iulij.

Humatus est Salzbürgij in maximo templo, ubi adhuc  
religiosè colitur, & populus frequens ad eius sepulchrum con-  
currit.

Chunradus Primus à sancto Eberhardo institutus admi-  
nistravit Pibürgense Monasterium annos sex, menses toti-  
dem. Ex hac vita migravit anno Christi Millesimo, centesi-  
mo, quinquagesimo tertio, decimo Kalend. Nouembris, in die  
Seueri Episcopi, Extat adhuc eius sacramentum, quod religio-  
ni sub Diuo Eberhardo dedit. Sub eo Bertha, qua cum fra-  
tribus Chunrado & Erbone Pibürgium arcem in templum  
commutauit, excessit ex hac vita anno Christi Millesimo,  
centesimo, quinquagesimo primo, octauo Idus Augusti, in die  
Sexti.

Contra hunc Conradum Secundum Bibürgensis Mona-  
sterij Abbatem, tam seua tempestas, quorundam improbita-  
te exstitit, vt ad eam sedandam, ipse Adrianus IV. Pontifex  
Romanus, itemque Episcopi Ratisbonensis & Bambergens-  
is accedere debuerint; vt intelliges ex quinque sequentibus  
Epistolis, quas reperi in Manuscripto quodam Codice, quem  
Viennâ ad me misit vir Clarissimus, & in omni studio-

rum genere eruditissimus Dominus SEBASTIA-

NVS TENGNAGEL I. V. D. Casarez.

Bibliothecæ Præfatus.

Lite-



Literæ commendatitiæ ab Episcopo Ra-  
tisbonensi Conrado Abba-  
ti datæ.

**R**hodoxis omnibus H. Dei gratia Ecclesie Ra-  
tisbonensis Episcopus, quidquid hic & in futura  
felicius. Pateat vniuersitati vestra qualiter ve-  
nerandus & amandus filius noster Conradus Bi-  
burgensis Monasterij quondam Abbas, presentium lator,  
turbata quieti & sua & fratrum suorum humiliter & benig-  
nè consuluit: quidam enim ex fratribus suis amaro zelo in-  
flammati, bona opinionis ipsius, primo intus & latester; de-  
inde etiam foris & patenter detrahere cœperunt. Cui scandalo reprimendo tum à Domino EBERHARDO Salzburgensi  
Archiepiscopo, & EBERHARDO Bambergensi Episcopo,  
tum etiam à nobis & nostris, sæpè diu & multum frustra, quia  
nimis leniter, laboratum est. Tandem magnis nostra Eccle-  
sia negotiis occupati, dilectissimo & venerabili fratri, & cœpi-  
scopo nostro Bambergensi, & Pralatis nostris, vicem nostram  
in hac re concessimus, qui ad prædictum Monasterium veni-  
entes, omnia prudenti, & fideli discussione ventilare cœperunt.  
Sed forte propter nostram absentiam, ferro abscissionis, in per-  
tinaces & publicè culpam suam confessos minus vsi sunt. Ita  
ad ciuitatem nostram Dominus Episcopus & Abbas regressi,  
sex de parte detentorum cum assensu reliquorum ad principa-  
lem Ecclesiam nostram adduxerunt, vbi nec bono zelo, nec ve-  
ra, de Abbate suo immerente se iactasse, publicè confessi sunt.  
Tunc Dominus Abbas pœnitentia quorundam minus confi-  
dens, & non dignitati, sed quieti & saluti sue intendens, quia  
suspecti & morbidè abscissi, non sunt, Abbatiam vltro resig-  
nauit. Quod factum pro reuerentia Domini Bambergensis,  
&



& amore Abbatis, non tamen sine scrupulo, suscepimus, & ipsum ab obedientia nostra non absoluentes vniuersitati vestra, tanquam prudentem & fidelem virum commendamus.

Literæ commendatitiæ datæ Conrado  
Abbati ab Eberhardo Episcopo  
Bambergensi.

**M**inibus in regno caritatis, EBERHARDVS Bambergensis non suis meritis vocatus Episcopus salutem, & eam qua maior est omnibus, & qua nunquam excidet, charitatem. Domino dicente, va ei per quē scandalum venit, cum inter fratres ante omnia scandala vitanda sint, nolumus quengquam scandalizari, in persona venerabilis & dilecti fratris nostri Conradi, quondam Biburgensis Abbatis, eiusq; separatione à fratribus suis. Equidem arbor ipse bona illiq; terra bona tanta dissimilitudine, & eā, qua alia natura est, morum consuetudine discrepabant, vt fructuosè, & vnius moris in domo Dei cohabitare non possent. Vnde nascente & crescente de die in diem inter eos discordia, cum soleat antiquus hostis, quorum vitam non potest, saltem famam ledere, prædictus frater omni non solum infamia, sed etiam suspicionis macula abolita, communi & publica fratrum suorum adtestatione; specialiter verd quorundam, qui in eo scandalizati fuerant, recognitione, in nostra & chori Radisbonensis presentia, ad sedandam tempestuosam inter se & contra se fratrum discordiam libera voce cum Iona ait; Si tempestas hæc propter me est, tollite me, & mittite in mare; in eius nomine, qui venit non perdere animas sed saluare. Ac sic Abbas nobis & choro, visse Domini Radisbonensis Episcopi resignata, fratres & sorores



res presentes & absentes obedientia sua absoluit; Cuius rei testimonium perhibentes, presentem ei cautionem porreximus & omnibus ad quos peruenit, sicut prudentem, literatum & bona estimationis fratrem, in eo cuius hac dona sunt, attentius commendamus.

Literæ commendatitiæ datæ Conrado Abbati à Capitulo Cathedralis Ecclesiæ Ratisbonensis.



Uniuerfis sanctæ Ecclesiæ ordinibus & dignitatibus, chorus S. Petri Ratisbonensis perpetuam in Domino salutem & pacem.

Notum uniuerſitati ueſtra facimus, de preſentium latore Domino Conrado Biburgenſe quondam Abbate, qualiter multas ſape aduerſus ſemetipſum contradicōnes ſubiectorum & rebelliones pertulerit, ſed omni tempore, quo conuerſatus apud nos eſt, deprehendi ad infamiam, vel depoſitionem nunquam potuerit: quod Epicoſpus Bambergeniſis adueniens, hinc inde auditis partibus animaduertit proſectō, & ipſi fratres ad eō intelligere ceperunt, ut pacis compoſitionem amplectentes, uniuerſi tunc in monaſterio publice & priuatiſim; pōſt aliquanti excepti in Eccleſia noſtra Ratisbonenſi confiteri malas \* ualitudines ſuas at non ipſius culpam \* affectiones conſentirent; proteſtantes multo magis ſe ex odio & ſubuerſione animi, quā conſcientia recta & ueritate, honorabilis perſona famam lacerari. Tunc demum, uir emeritus, cedere, Abbatiam ſponſe reſignando, non diſtulit. Talem exitum ſpectati uiri, oculis noſtris aſpicientes, ſcribimus uniuerſis Eccleſiis Dei, dignam, laude, honore, dignitate conuerſationem ſuius & ſcientiam pradicantes.

Ff Diplo-



Diploma Adriani I V. Pontificis, quo Conradum Abbatem in pristinum dignitatis locum restituit.

**A**drianus Episcopus seruus seruorum Dei. Venerabilibus fratribus Eberhardo Salisburgensi Archiepiscopo, & Ratisbonensi Episcopo, salutem & Apostolicam benedictionem.

Dilectus filius noster Conradus Abbas monasterij S. MARIÆ de Biburch, sicut ex tua Fraternitate Ratisponensis Episcopi, & Canonicorū tuorum, & Fratris nostri Bambergensis Episcopi attestatione atque aliorum plurimū religiosorum virorum assertione cognouimus, quorundam iniquorum fratrum malitia & vexatione compulsus à monasterio suo discessit, & Apostolica sedis presentiam visitauit: qui dum transfretare disponderet, & Hierosolimam pergere, vt ibidem in aliquo loco religioso ad Dei seruicium, & ad saluādam animam perpetuo moraretur, nos eum à sua mentis intentione retraximus, & ipsum ad proprium monasterium remisimus, vt fratrum curam sicut hactenus, ita de cetero habeat, & in Abbacia plenarie debeat ministrare.

Eum itaque fraternitati vestra attentius commendantes, per Apostolica vobis scripta precipiendo mandamus, quatenus ipsum infra XX. dies post harum susceptionem in plenitudinem Abbacia, auctoritate nostra, omni occasione ac dilatione postposita, restituatis, fratribus eiusdem monasterij firmiter iniungentes, vt eum honeste recipiant, benigne tractent, & ipsi, tanquam proprio Abbati, & animarum suarum rectori debitam in omnibus reuerentiam & subiectionem impendant. Si verò aliquis interim in eadem Abbacia fuerit subrogatus, eum sine contradictionis obstaculo penitus amoueri



ueri curetis: Duos etiam eiusdem Ecclesia monachos \* Vdo: \* Vdonem.  
 videlicet & \* VValth: & duos Conuersos scilicet \* Euch: & \* VValtherū.  
 Vdal. quibus infestantibus & multipliciter perturbantibus \* Eucharium.  
 predictus filius noster Conradus Abbas commissa sibi Ab-  
 batia regimen se asserit dimisisse, ab ipso monasterio re-  
 moueatis, & eos in obedientis monasterij, extra mona-  
 sterium tamen, auctoritate nostra ponatis. Qui tam-  
 diu compellantur in ipsis obedientis permanere, quo vsque  
 à sua malitia recedentes, correcti & emendati à memorato  
 Abbate ad proprium monasterium renocentur. Data Late-  
 rani, XV. Kal. Maij.

### Literæ Adriani Pontificis ad Conuen- tum Biburgensem.

**A**drianus Episcopus seruus seruorum Dei, dilectis  
 filiis monachis & Conuersis Marie de Biburch,  
 salutarem & Apostolicam benedictionem.

Dilectus filius noster Conradus Abbas ve-  
 ster, sicut ex relatione sua, & plurium religiosorum virorum  
 attestatione cognouimus, quorundam iniquorum fratrum  
 malitia & vexatione compulsus, à Monasterio vestro disces-  
 sit, & Apostolica sedis presentiam visitauit. Qui dum trans-  
 fretare disponderet, & Ierosolymam pergere, ut ibidem in ali-  
 quo loco religioso ad Dei seruicium, & ad saluandam animam  
 perpetuò moraretur, nos eum à sua mentis intentione retra-  
 ximus, & ipsum ad proprium monasterium remisimus ut  
 fratrum curam, sicut hactenus, ita de cetero habeat, & in  
 Abbatia debeat plenariè ministrare.

Eum itaque vniuersitati vestrae attentius, commendantes  
 per Apostolica scripta vobis praciendo mandamus, qua-



cenus eum honestè recipiatis, benignè tractetis, ipsi tanquam proprio Abbati, & animarum vestrarum Rectori debitam in omnibus subiectionem & obedientiam impendatis. In nullo quoque eidem rebellas, in nullo contumaces existere præsumat. Quod si fortè contempseritis adimplere sententiam, quam ipse in aliquem vestrum, qui contemptor extiterit, propter hoc Canonicè promulgauerit, à nobis ratam noueritis ac firmam habendam.

Duos autem monasterij vestri monachos, Vd. videlicet & Gualth. & duos conuersos, scilicet Vd. & Euch. quibus infestantibus & multipliciter perturbantibus prædictus filius noster, Conradus Abbas commissa sibi Abbacia regimen se asserit dimisisse; per fratres nostros Saltzpurgensem Archiepiscopum, & Ratisbonensem Episcopum ab ipso Monasterio præcepimus amoueri, & eos tamdiu in obedientiâ monasterij extra monasterium decernimus permanere, quo usque à sua malitia recedentes correcti, & emendati à memorato Abbate ad proprium monasterium reuocentur. Data Laterani, XV. Kal. Maij.

Haecenus literæ in caussa Conradi Abbatis Biburgensis. Ille autem Episcopus Ratisbonensis litera H. designatus, aut est Henricus hoc nomine primus, Comes VVolfrarshausen, aut successor eius Hartuicus, qui Episcopatum iniit eo ipso Anno, quo Henricus excessit; nempe M C L V. Illud certum; errare Auentinum, quando Conradum Abbatem obiisse dicit, Anno M C L I I I. cum enim pro Conrado Abbate Romam profecto Adrianus Papa IV. ad supra dictos Episcopos, & ad Biburgensem Conuentum rescripserit, Adrianus autem Anno demum 1155. Pontificatum adeptus sit; fieri non potest, vt Conradus, Anno, quem Auentinus notat, in fata concesserit.

o(s)o(oe)

Nota-



## Notationes in cap. VII. lib. 2.

**R**amerus Prædicans lib. 1. Chronici sui, ait, Othonem ab Imperatore Henrico facultatem in Pomeraniam abeundi petiisse. Postea frigidissime adiungit. *Etlich wöllen/das er desß Pappsts Honorij Erlaubnuß auch darüßer erfordert habe. Sunt qui dicant, Othonem, etiam à Papa Honorio eius rei potestatem sibi fieri postulasse. Quam frigidè, O Prædicans? Nolles nimirum summi Pontificis auctoritatem in conuersione Pomeranorum interuenisse. At, velis nolis, audire debes Vrspergensem, qui in Chronico ista. Anno Dominicæ Incarnationis MCXXIV. Indictione secunda, Callisto Papa II. Romana sedi præsidente, Otto Dei gratia, Babenbergensis Ecclesiæ Episcopus, diuino admonitus instinctu, prædicti Apostolici assensu & auctoritate roboratus, partes Pomeranorum paganorum, cum quibusdam ciuitatibus terre Lutitiæ aggressus est, vt eos ab errore suo reuocaret, &c. Hæc Vrspergensis. Scilicet, sine Pontificis scitu S. Otho in Pomeraniam abiit; qui Sedi Apostolicæ tam deuotus fuit, vt infra etiam cap. 31. Sedis illius Obedientarius nominetur. Vide lib. 3. cap. 4.*

Nec illud silendum, prædicantem vbique admiscere flosculos prædicanticos, vt cap. 17. Otho hab ein Altar bawen lasen/zum Gebrauch das Abendmals desß H. Erien. Quæ est phrasis profus Lutherana. Nam altare exstruxit ad Missam, seu, ad sacrificium Missæ. De cœna ista, quam Lutherani Prædicantes coquunt, ne per somnium quidem, tempore S. Othonis cogitabatur.

Similis phrasis est, cap. 18. Otho vund die seinen haben am Wort gearbeitet. Apage hanc locutionem. Num tu puras Othonem & ministros eius fuisse, vt tu es, Diener am Wort/hoc est, *spermologos & seminiuerbios*. de quæ ambone clamatores stentoreos? Eiusdem farinae est illud in eodè capite: da das Eiecht zu Piertis also gewaltig angienge. Phrasis hæc ex Prædicantium non myrotheciis, sed coprotheciis deprompta est. O lumen admirabile Quinti Euangelij: quod nullus vespertilio, nulla noctua, nullus nycticorax, nulla vlula metuat.



Alicubi *sacellanos* S. Othonis nominat Cramerus, *Diener am Wort* / hoc est, *Logodulos*, vel *Dulologos*, *Wortsfnecht*. *Prorsus Prædicantice*. Absit, ut sancti illi viri tales fuerint, qualis *Paulus à Roda*, *Knipstro*, & ipse *Stetinensis præco Cramerus*.

### In Caput XXXVII.

**D**odonæ condidit S. Otho Ecclesiam in honore sanctæ Crucis, ut inquit Sefridus. Prædicans, more suo, fidelem interpretem agens, ita reddidit. Er hat alsbald ein Kirche nach dem heyligen Creutz genennet / erbauden. Nimirum religioni sibi duxit Prædicans, dicere, à S. Othone exædificatam Ecclesiam in honorem sanctæ Crucis. Nam ut quid in sanctæ Crucis honorem fiat, sanctæ Crucis osor, qui commodus & patiens ferat?

Obserua & illud; quàm Lutherani & Caluiniáni præcones longè auj à S. Othone, eiusque adiutoribus in promulgatione Euangelij abeant. Nam illi, imagines Crucis, si quas reperiunt, exterminant, & prosternunt. At isti erigunt, eiusque quasi salutiferi tituli erectione, Christum crucifixum quodammodo in possessionem loci illius mittunt; cuius rei exemplum cum alibi, tum in hoc cap. 37. cernerelicet.

Hallucinatur autem prædicans, cum cap. 33. scribit, Othonem Episcopum vita functum Anno 1139. die 30. Septembris. Nam mortuus est pridie Kalend. Julias, in commemoratione S. Pauli Apostoli vt planum fit ex Andrea lib. 4. cap. 4. & 5. & sepultura traditus 3. Nonas Iulij, vt patet ex vita Canis. Edit. & ex illa, quæ est apud Surium Tom. 4. Quo die Martyrologium Romanum isthæc. *Bambergæ S. Othonis Episcopi, qui Pomerani Euangelium prædicans, eosdem conuertit ad fidem. At vero xxx. dies Septembris ad Translationem S. Othonis pertinet: translatum est enim corpus eius Anno 1189. sub Clemente III. pridie Kalend. Octobris; quo die festum eius celebratur, inquit Surius.*

Lib. 3. chronici cap. 37. ait Cramerus Prædicans, Paulum à Rhoda, turpissimum illum & foedissimum Apostatam & seducto-



ductorem Pomeraniæ, iure suo appellari posse *primum Euangelistam in Pomerania*, quod primus ad agnitionem Euangelij prouinciam illam adduxerit. Spongia ergo eluat Prædicans illa, quæ lib. I. cap. 34. scripserat; nam si, vt iam dicto loco fatetur Prædicans, S. Otho verum Euangelium Pomeranis annunciauit, verus igitur Euangelista, hoc est, veri Euangelij nuncius, Et, quod hinc consequitur, primus fuit; cum ante illum nullus in Pomerania Euangelium prædicauerit, licet non defuerint, qui id tentarint. Si S. Otho verus & primus Euangelista in Pomerania fuit; iniuste igitur hæc laus ad Paulum illum transfertur. Aut si Apostata iste primus fuit: Pomerani ergo antea non habuerunt verum Euangelium, veramque fidem; nec beatitudinem consecuti sunt. At hoc negat Prædicans cap. 34. Qua fronte igitur, & qua mente iam scribit, Paulum à Roda fuisse primum in Pomerania *Euangelistam*; hoc est, primum veram Christi doctrinam in Pomeraniam intulisse?

Illud etiam perquam lepidum est, quod lib. I. cap. 43. vbi agit de conuersione Rugianorum, affirmat; quoslibet, *tempore necessitatis sacramenta administrare posse*: omnes enim Christianos, qualescunque sint, esse sacerdotes, & regale sacerdotium, Ex quo sequitur, etiam mulieres, necessitate id exigente, posse cœnam Lutheranam dare; seu Confessiones audire; remissionem peccatorum, prædicantem in morem, annunciare. Quod autem dicit Prædicans, in conuersione Rugianorum ad Christianam fidem hoc factum esse, quod Sacerdotes tantæ multitudini neophytorum non sufficerent; id falsum existima; nam licet Laici baptizare & catechizare possint, si necessitas id efflagitet, inauditum tamen est, in Ecclesia Dei, vlli Laico vllam ob causam, aliorum sacramentorum confessionem & administrationem concessam fuisse; aut concedi posse. Quis enim ante Lutherum, nouum Peputianum, vnquam dixit, Laicos, & in his etiam mulieres, posse Eucharistiam conficere, confessiones audire, & absolutionem impertire? Nec primi Rugianorum prædicatores rerum Christianarum & Ecclesiasticarum tam imperiti erant, vt huiusmodi munia Laicis committerent. Omnium ea fuit sententia, quam his ver-  
bis



bis Epist. lib. 19. ad Berum expressit Erasmus. *Dogma, quo quidam cuius tribuunt potestatem consecrandi, absolvendi & ordinandi semper habui pro manifesta insania.*

Lib. 3. Chronici cap. 22. scribit Cramerus Prædicans, Iohannem Bugenhagium Pomeranum iure suo vocari posse secundum Apostolum Pomeraniæ; *Vt enim Otho, inquit Prædicans, vulgò primus Pomeranorum Apostolus vocitatus, Pomeranos ab Ethnica superstitione liberavit & expiavit; Sic & Bugenhagius Pomeraniam à Papisico fermento expurgavit.* Alibi nominat Prædicans Paulum à Rhoda Primum Pomeraniæ Euangelistam, vt paulò antè vidimus; quòd primus Pomeranos ad Lutheranismum traduxerit. Nunc in periculo est, ne de prima statione deturbetur; & Bugenhagio cedere cogatur: Nisi forsan dicat, secundum Apostolum primo Euangelista potiorum esse: Et Paulum illum tam Othoni Episcopo, quàm Bugenhagio anteponi debere: quòd tamen prædicantem responsum, vix crediderim: Nam vt Paulum à Roda vel Rota S. Othoni præferre non reformidet; at vix Bugenhagio anteferet; nimirum Doctorem Magistrum; Præceptorum discipulum. Porro si Paulus à Rhoda primus Pomeranis Euangelium Euangelizavit, & Papisimum fugavit; quid postea Bugenhagius fecit, vt secundi Apostoli cognomen mereretur? Nil certè video, quòd præstiterit, quàm quòd generalis Visitator Pomeraniæ fuit; Et Monasteria & tēpla non aliter visitavit ac olim Iudas Iscariotes visitavit loculos seu pecuniam Christi Domini. Visitavit, inquam, Cœnobias & Ecclesias, quo pacto Turcæ eas visitare solet, quādo Christianorum prouincias occupant. Cuius rei en dilucidum Exemplum.

Anno 1535. visitavit bellus iste Visitator Monasterium Eldenauense, vt scribit Prædicans lib. 3. cap. 22. Quem visitandi modum tenuit? Eundem, quem Iudas, quādo loculos Domini visitabat. Omnia, quæcunque erant in Monasterio, tam sacra, quàm profana diligenter conuasavit. *Ex sacristia, vt vocant; seu sacrario, Templi, mille quadringentas Marcas argenti facti & infecti, calices plurimos, argenteas imagines & Hierothecas seu Monstrantias, Et baculos pastorales ex eodem metallo fabricatos abstulit; Et ne erga sacra*  
supel.



supellectilis Monachum Custodem, ingratus esset, obtulit ei *Casulam sericam rubram*, vt inde vel caligas vel pallium sibi conficerent; qui tamen munus oblatum respuit, non religione; Apostata enim erat; sed quia vestem tam pretiosæ materiæ minus sibi conuenire existimabat.

Eandem visitationem studiosè tenuit Visitator iste in aliis Pomeraniæ Monasteriis; Et quo Monasterium opulentius erat; eò auidius visitationem eius desiderabat: Sedulo imitatus Regem Antiochum, qui vt lib. 1. Macchabæorum legimus visitans Templum Hierosolymitanum accepit inde *altare aureum, & candelabrum luminis, & vniuersa vasa eius, & mensam propositionis, & libatoria, & phialas & mortariola aurea, & vellem & coronas, & ornamentum aureum, & accepit argentum & aurum, & vasa concupiscibilia, & accepit thesauros occultos, quos inuenit; & sublati omnibus abiit in terram suam.* En insignem Visitatorem in cuius vestigiis nouus iste in Pomerania Visitator accuratè vestigia sua posuit. Si ergo ob has & similes Visitaciones Bugenhagius Apostolus Pomeraniæ saluari debet; non secundus, respectu ad S. Othonem habito; sed primus absolutè appellari debet; at non Dei; sed Diaboli; nam & iste suos Apostolos habet. Fieri enim non potest, vt vterque Otho & Bugenhagius fuerit Apostolus Dei; cum viis prorsus contrariis incesserint; Nam S. Otho Monasteria condebat, condita locupletabat, Monachos amabat, fouebat, colebat, secum circumducebat; sacra supellectile, vt calicibus, & vestibus sacra domicilia instruebat; imagines, præsertim sacra Crucis trophæum, passim erigebat, Diuorum lipsana circumferebat; Cruce prælata ad populum verba faciebat, Missas celebrabat & millena huius generis faciebat; quæ omnia secundus iste ex VViteberga profectus Apostolus abolet, exterminat, repudiat, irridet, subsannat. Quocirca fieri non potest, vt ab eodem Domino missi fuerint; neque enim Apostoli à Christo missi ita comparati sunt, vt quod vnus extruit; alter destruat. Et quod vnus, vt Christianum, populo tradit; alter, vt idololatriam, excretur.

Gg

Quis



Quis verò ex duobus istis fuerit Apostolus Dei; Et quis eius, qui Deo in omnibus aduersatur; facile statuet, qui cerebro non caret. Loquantur vtriusque actus, fructus, miracula, vno verbo, vita; omniumque Pomeranorum Christi sacris initiatorum, ante Lutherum, imò totius Christiani orbis sensus ac consensus; qui omnes Othonem Bambergensis Episcopum, tanquam virum sanctimoniam vitæ spectatissimum patrisque miraculis celeberrimum coluerunt ac venerati sunt, nomine eius in Fastis Tabulisque Ecclesiasticis religiose consignato.

Ipsi etiam Pomerani nondum Lutherana peste correpti, tres dies festos in honorem S. Othonis, primi sui Apostoli, quotannis solempni ceremonia agebant; vt scribit sæpe iam nominatus Prædicans, lib. 3. Chronici cap. 2. nempe Festum Ordinationis eius XIV. Maij. *Diem mortis, seu, vt loquitur Cramerus seiner Begräbnuß / sepulture sue XXX. Iunij: Et Festum Translationis XXX. Septembris.* Finem harum solennitatum hac Antiphona declarabant. *Festa pijs Pontificis Othonis, tota deuotione veneremur, vt apud Dominum, qui summè pius est, meritis & precibus eius adiuuari mereamur.* Ronchos ducit prædicans, frontemque corrugat ad istud odarium. Qua de causa? Quia inuocatur S. Otho. Atqui Pomerani faciebant, quod à S. Othone didicerant. Didicerant autem, inter cætera, ipsam quoque inuocationem sanctorum, vt tu ipse non diffiteris. Quapropter doctrinæ primitus acceptæ conuenienter, ipsum quoque Othonem, postquam cœlitum Catalogo adscriptus fuerat, inuocarunt. Quod si Otho adhuc superstes, & vitam hanc mortalem viuens, inuocatus à VVitschacho, tantæ potentia apud Deum fuit, vt illum ex Danico carcere mirabiliter eriperet, solumque, sine vlllo remigio, in exigua cymbula, per vastum maris pelagus ex Dania in Pomeraniam traderet; vt libro 3. audiuius; mirum sanè foret, si nunc immortale æuum cum beatis agitans minoris facultatis esset; Et ad se confugientibus opitulari nequiret. Cæterum, vt Bugenhagenius



hagius & similes seductores aliis Diuis; sic & S. Othoni suos honores in Pomerania sacrilegè abstulerunt; abrogatis diebus festis, quos pia antiquitas S. Othoni dicauerat. Et tamen Anno 1585. Paulo à Rhoda, & Bugenhagio præcipuè diem festum indixerunt & instituerunt: nam quia prædictus annus erat quinquagesimus ab introducta communi decreto, in Pomeraniam Lutherana doctrina; eam ob causam Christophorus Stymmelius Stetinensis Prædicans, Stetinenfib. Iubilæum indixit: vt testatur Cramerus lib. 3. cap. 47. qui Annus Iubilæus nihil aliud erat, si rem penitus introspicere, & verum ingenuè fateri velimus, quàm Panegyris primis Pomeraniæ Lutheranis clamatoribus consecrata; quorum Turcica facta plenis proculdubio libris demodulati sunt cum alij tibicines, tum tibicinum Superintendens Szymmelius.

Quàm concorditer autem isti Quinti Euangelij Buccinatores in Pomerania degant, & quàm toto cælo à Spiritu S. Othonis & successorum eius disrepent, testatum faciunt tot dissidia & iurgia, quibus inter se altercantur & digladiantur, quæ quod Cramerus in Chronicum suum retulit; non improbo; quia interest nouorum Euangelistarum confessionem nosse. Nec inutilem operam cepit, cum Magistri Iacobi Crusij Articulos seu propositiones contra Pomeranicam Agendam verbatim lectoribus proposuit, lib. 3. cap. 44. in quibus eminent istæ. *Agendam & Ecclesiasticam gubernandi rationem in Pomerania esse Diabolicam, & à Christiana religione alienam.* II. *Non à Deo, sed à Diabolo, improbitate hominum; non iure diuino, sed iure Diabolico, introductum esse, vt quis sit & vocetur Generalis Superintendens supra multas, vel aliquas ciuitates.* III. *Neminem bona conscientia posse esse generalem Superintendentem, aut in hoc statu salutem consequi. Et qui tali Superintendenti obtemperet; non fore saluum.* Nullum magistratum posse Generales Superintendentes aut eorum munus defendere. Omnes istos generales Superintendentes, cum omnibus suis Præpositis, Senioribus & Prouisoribus, simul cum Magistratu &



tu & Iuristis, qui alium defensionem suscipiunt, eosque in visitationibus, & id genus aliis ministeris adiuuant; ad Diabolum pertinere. Dicere, quod munus Superintendentium, sit Verbo Dei consentaneum; Esse abominationem desolationis. Esse à Christiana religione abhorrens & conscientis periculosum, vt noui Ministri Superattendentibus dent dextræ societatis & obedientiæ.

Hæc & his affinia themata mordicus tuenda sibi suscepit supradictus Crusius Stralissundæ in ipsa Pomerania Prædicans, Nec dubito eum, innumeros è minorum gentium Prædicantibus, Tyrannicæ huius Superintendentiæ perturbatos adtupulatores habuisse. Quid enim fastuosius & insolentius hisce Superattendentibus; de quorum impotentia non modò huius Crusij, sed & complurium aliorum Prædicantium querimonis exstant,

### In Caput VIII. lib. 3.



seruatione dignum est, multis ad septemtrionem populis fuisse idola, quorum nomina in syl-labam *Vitus* desinerent: vt hic *Gerouitus* vel potius *Herouitus*: *Barouitus*, & nominatissimum illud simulacrum apud Rugianos, incolas vrbis *Arconæ*, *Suantouit*, seu *Suantouitus*, *Carenzæ Rugeueit*, Item, *Vietold*, Quæ omnia eiusdem originis videntur; quam indicat *Crancius* lib. 5. cap. 18. *Daniæ* ita scribens: *Erat in vrbe (Arcona) simulacrum horrenda superstitione ab vniuersa natione cultum; Suantoueit appellauere. Nam à S. Vito occasionem idololatriæ cepere. A memoria enim Diui Ludouici primi, cum operante Anschario, Corbeiensi primùm Monacho, deinde Hamburgensi Archiepiscopo, fides in Dania plantaretur; eodem Cœnobio egressi & alij fratres, exemplum Anscharij secuti, in VVandalis Verbum vitæ disseminauerunt, vbique patronum loci sui Vitum commendantes nouæ plantationi. Ex qua occasione, cum postea fidem reuerent, patroni memoriam seruauerunt; sed illa abusi. statuam pro numine Martem pro Deo habere cœperunt.*

Simi-



Similia de natalibus *Suantouiti* Saxo Grammaticus, lib. 24. Historiæ Danicæ; qui accuratè formam, opes, ritumque colendi huius simulacri, & tandem euerfionem eius describens, hæc etiam commemorat. Quibus, (lignis) dum artifices coaptandis intenderent, frustra his rebus operam dare asseuerabat (Rex Daniæ) sperato citius urbem (Arconam) capturos. Interrogatus, quoniam id augurio deprehensum haberet; ex hoc potissimum augurari se dixit, quod Rugiani quondam à Carolo Cesare expugnati, sanctumque Vitum Coruegiensem (Corbeiensem) religiosa nece insignem, tributis colere iussi: defuncto victore, libertatem recipere cupientes, seruitutem superstitione mutarunt, instituto domi simulacro, quod *S. Viti* vocabulo censuerunt. Ad cuius cultum, contempti Coruegiensibus (Corbeiensibus) pensionis summam transferre cœperunt, affirmantes, domestico Vito contentos, externo obsequi non oportere. Quamobrem Vitum veniente sui solennis tempore, eorum mania turpaturum, à quibus tam similem monstro figuram acceperit, meritò namque eum ab his iniuriarum pœnas exigere debere, qui venerabilem eius memoriam sacrilego cultu complexi fuerunt. Hæc & plura de hoc idolo Saxo: Et certè nomen ipsum *Suantouitus*, seu *Schuantouitus* originem testatur; Est enim idem quod sanctus Vitus, in cuius tutela Monasterium Corbeienfe erat; & ex quo in Daniam, & loca vicina primitus Christianæ fidei Prædicatores processerant. Nec dubito alia vocabula ex eodem fonte deriuari, ut *Herouitus* sit *Her ueit*, ab hero, vel si mauis, ab Exercitu; & reliqua etiam aperte *Viti* nomen præferunt.

Notatio pro cap. 36. Libri  
primi.



Onui in scholio ad hoc caput; eius initium non nisi ope Manuscripti Codicis sanabile esse. Cum iam maxima pars huius voluminis excusa esset, venit ad me Bambergæ, missu admodum Reuerendi & Magnifici Domini Doctoris FRIDERICI FOR-  
Gg 3 NERI,



NERI, Bambergensis Vicarij, apographum vitæ Othonianæ; sed scriptum mendosissimè : cuius scriptura est ista. Tempore quodam in domo Episcopali domestice habens renomen forte nuper emptum vestiebatur. Ex quo fortassis Criticus quispiam fecerit : In domo Episcopali dum esset, habens renonem. Isidorus lib. 19. cap. 23. Renones sunt velamina humerorum & pectoris vsque ad umbilicum, atque intortis villis aded hispide, vt imbres respuant, quos vulgò reptos vocant, eò quod longitudo villorum, quasi reptet : de quibus Sallustius, Germani intectum renonibus corpus tegunt. Dicit autem renones à Rbeno Germaniæ flumine, vbi is frequenter vtuntur.

Quamquam alij fortè rectius deducunt ἀπὸ τῶν φλωῶν, ab agninis pellibus.



PARA-